



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Ærumnæ D. N. Jesu Christi

Thomé <de Jesus>

Monachii, 1676

Ærumna XLI. Sententia mortis contra Dominum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45834](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-45834)

ÆRVNA XII.
Sententia mortis contra Dominum.

I.

*Unum pec-
catum est
causa alterius.*



*Ioan. cap.
19. vers. 15.*

*Quanta
mala seum
trabat con-
suetudo pec-
candi*

Peraverat Pilatus nullum fore tam ferum, qui mi-
serando spectaculo Christi non removeretur à propo-
sito nefario ejus perdendi. Sed fecellit eum sua
opinio: quia hoc proprium est eorum, qui agunt ex
mera malitia, invidia & odio, ut, cum vident aliquod initium
succesûs conatum suorum, nequaquam desistant, sed majoribus
animis insistant, usque dum finem suum obtineant. Sic dum Pi-
latus exhibendo Christum in tam cruenta specie, frangere voluit
rabiem ejus inimicorum, accendit magis; cogitantibus illis, tali
flagellatione & ignominia concessâ, non difficulter obtineri pos-
se & mortem, à qua tam propè abesset. Unde tertium inculcatâ
illis ejus innocentia, clamaverunt omnes pariter insanis vocibus:
Tolle, tolle, crucifige, crucifige eum, nullam rationem admittentes.
Quod eorum responsum licet meritò videatur admirabile; si ta-
men attendamus ad nos ipsos, videbimus nos etiam ex eadem
massa corrupta, & eadem natura constare, quæ ad vivum in illis
exprimitur. Etenim sæpenumero, qui per pœnitentiam, & alia
remedia putet se jam persanasse aliquod vitium, levi occasione
invenit in se de novo tam vivacem inclinationem ad malum, &
carnis propensionem ad terrena tam effrenem, ac si nunquam de-
plorasset sua peccata. Et hoc illi, qui longo tempore assueve-
runt alicui vitio, experiuntur quotidie. Licet enim aliquando p-
pirationem internam, vel per verbum Dei lectum, auditum,
vel adhortatione amicorum evidenti ratione, vel honore ducti
sua mala agnoscant ac damnent; tantum tamen potest apud eos
gustus peccati, & phrenesis malæ consuetudinis, ut sine omni re-
morsu ruant in illud, neque pro labe id habeant; quasi ratio,
conscientia, lex divina & humana starent ab illis. Atque ex ma-
litia Judæorum discimus, qualis sit nostra natura, ut meritò ti-
meamus nos ipsos, & solliciti simus de remedio, quod nobis
porrigunt exempla Christi,

II. Per-

II. Pertæsus Pilatus tantæ barbariæ & injustæ contumacia, dixit: *Accipite eum vos, & crucifigite; ego enim non invenio in eo causam.* Ioan. 19. 6. Responderunt illi: *Nos legem habemus, & secundum legem debet mori; quia Filium DEI se fecit.* & 7. Pilatus jam antea certus, quod ex mera invidia accusarent Christum & valde propensus ad eum, absolvendum; & ex altera parte miratus ejus taciturnitatem, modestiam ac patientiam humanâ majorem in tam crudelibus tormentis, confirmatus est in opinione ejus innocentia, non tamen ita animatus, ut eum ex odio & invidia Judæorum eriperet. Sed auditâ mentione Filii DEI, aspiciens eum & considerans mansuetudinem, constantiam & robur animi, dubitare cœpit, an non aliquid majus humano lateret in eo, de quo tam multa miranda audierat; ac timuit, ne forte peccârit ipse in divinam virtutem, dum permisit eum tam sævis exemplis tractari: ingressus prætorium iterum, voluit amplius inquirere de ejus persona. Recta intentione opera n. s. a sanctificat. O quantum refert, bene cognoscere affectus animæ, quid speret vel timeat! neque enim res apparent, quales sunt; sed quales fingit affectus bonus aut malus aspicientium. Atque hinc fit ut eadem res bonâ & rectâ intentione fiat virtus, pravâ peccatum. Sic idem opus bonum ab alio censetur hypocrisis, quam alter accipit pro bono exemplo. Idem honor delectat amicum, qui bene vult honorato; urit verò malevolum, qui invidet illi. Sic miracula Christi fuerunt ejus inimicis occasio, ut haberent eum pro malefico, & falso Filio DEI; Pilato verò, ut metueret, ne quid divinum esset in illo, propter quod cogitabat eum liberare.

III. Seorsim igitur interrogavit Christum, undenam esset, à cælonè cum aliquo numine ac virtute divina, an purus homo, à terra. Cùm ad hoc nihil responderet; Pilatus, qui amanter eum tractabat, ac liberare studebat, doluit sibi non responderi: *mibi*, inquit, *non loqueris?* nescis, quia potestatem habeo te crucifigendi, ac dimittendi? Ioan. 19. 10. cur te mihi non manifestas, cùm non sim è tuis inimicis? Habuit sanè potestatem administrandæ justitiæ; sed miser non administravit. Respondit ergo Dominus: *Non haberes potestatem adversum me ullam, nisi tibi datum esset de-*
super.

super. Propterea, qui me tradidit tibi, majus peccatum habet. Si Pilatus habuisset plus luminis, bene poterat ex hoc responso colligere aliquid humano majus esse in Christo; quia non tantum declaravit, negotium suum dependere à providentia divina & consilio æterno; sed etiam, se esse Judicem, qui cognoscat & expendat cujusque malitiam & peccatum, quod sit majus, quod minus. Habuit profectò magnam occasionem acquirendi majorem notitiam Domini, si dixisset: absit ut velim peccare, ac doleo quod in te peccaverim, exponendo te flagris. Ceterum non voluit Christus responsione sua indicare, eò quòd divinitus ordinatum & permissum sit, ut à Pilato condemnetur ad mortem, peccatum ejus esse minus, quàm Judæorum. Neque enim ex permissione DEI accedit vel decedit pondus peccato, sed tota ejus malitia est à voluntate peccantis; quâ suppositâ Providentia DEI utitur ad majus bonum. Fuit autem Pilati malitia minor, quia Judæorum importunitate in eam se passus est adigi: cum illi ex mera invidia & odio id fecerint: utrique verò peccaverunt; DEUS autem totum in bonum nostrum sapientiâ suâ convertit. Continetur autem in hoc responso Christi fundamentum pacis internæ, & consolationis justorum in mediis ærumnis, quibus probantur: quia firmiter credentes omnia sibi accidere consilio amorosissimo æternæ sapientiæ, non respiciunt ad malitiam hominum, vel dæmonum, per quos illa sibi inferuntur, sed ad amorem divinum, qui omnia dirigit in bonum ipsorum: & sic magno cum amore, submissione & obedientiâ committunt se potenti manui ejus, à quo proveniunt, magna cum quiete & consolatione acquiescendo.

*Minus in
Christum
peccavit
Pilatus,
quàm Ju-
dæi.*

*æque tā-
men cog-
nita innocen-
tiâ*

*ob metum
injustus esse
debruit.*

IV. Contentus responso, tametsi non satis intellecto, Pilatus, cum videret Christum inter tantas acerbitates oculos habere defixos in gubernatione cælesti, statuit, quidquid sit de Filio DEI, saltem talem esse, cui per vim & injuriam imponantur falsa crimina; ac proinde omnino liberandum à morte. Sed Judæi animadvertentes, Pilatum parùm curare, quòd Christus se fecerit Filium DEI, redeunt ad primam accusationem a feccati regni, non sine minis excidendi gratiâ Cæsaris: *si hunc dimittis, ajebant,*

ajebant, *non es amicus Cæsaris*. Hic lapis dejecit animum infelicis Pilati. Quia hic est scopulus, ad quem periclitantur omnes aulici, & qui pendent à gratia principum: unde ne per jocum quidem sustinent sibi objici, quo videantur excidere posse illorum gratiâ. Et permittit plerumque Deus, ut per eosdem evertantur, quorum gratiâ nitebantur; quod & Pilato evenit: nam per eosdem Judæos, quorum minis territus deseruit justitiam, ne perderet gratiam Cæsaris, eam postea perdidit.

V. Ergo sedens in tribunali, producto foras Christo, dixit Judæis per sarcasum: *Ecce Rex vester*. At illi vociferati: *Tolle, tolle, crucifige, crucifige eum*. Pilatus persistens in irrisione, *Regem, ait, vestrum crucifigam?* ad quod illi: *Non habemus Regem, nisi Cæsarem*. Id quod justo judicio contra seipsos pronunciato experiuntur hodièque, ut cum verum Regem suum repudiaverint, vagi supra terram dominis alienis subjaceant, omnibus contemptibiles & abominabiles. Videns Pilatus nihil se proficere, sed potiùs tumultum fieri, acceptâ aquâ lavit manus coram populo, protestans nolle se reum fieri sanguinis innocentis, sed omnem in illos culpam rejicere. Illi tanquam cæci & insani conclamarunt unanimiter: *Sanguis ejus super nos, & super filios nostros*. Ubi duo quædam videmus, quotidiana quidem, sed à paucis animadversa. Primùm, non minùs futilibus ac pudendis excusationibus nos uti sæpe, ut videamur immunes à culpa, quàm fecerit Pilatus, lotionem manuum eluere volens injustam sententiam, quam tulit in Christum. Quoties enim culpam referimus in diabolum, debilitatem carnis, occasionem urgentem, & similia, quam sponte nostra commisimus? Atqui longè diversum erit Judicium Dei de nobis, quorum erat malo resistere. Alterum est, quàm leve & exigui momenti videatur quodlibet malum, dum ejus delectatione tenemur, tam postea grave fieri, quando luendum est: ut adeò verum sit, non esse iniquiorem æstimatorem mali, quo servimus nostræ cupiditati, quàm nosmetipsos: quia sæpe nos imprudentissimè conjicimus in eas miseras, quibus exhauriendis non sufficiunt vires humanæ. Ita leve videbatur Judæis, recipere in se posterós-

Ioan. 19. 12.

Ioan. 19. 14.

Et 15.

Math. 27.

25.

Non minuitur peccatum esse in alios culpam rejiciamus.

posterósque suos sanguinem Filii Dei, sed infelices a triffima cæcitate id luunt, & in æterna damnatione sentient amplius.

*Quomodo
Salvator
mortis sen-
tentiam
acceptavit.*

VI. Dimisso igitur Barabbâ in gratiam populi, Pilatus Dominum tradidit voluntati eorum: voce præconis (ut mos erat) edicens, ex mandato Imperatoris, & legibus Romanorum Jesum Nazarenum, quia Regem Judæorum se facere voluit, condemnatum, ut moriatur in cruce, cum duobus aliis, propter latrocinia damnatis ad idem supplicium. Aliter acceperunt hanc sententiam inimici Domini, aliter amici; illis magno cum júbilo eam laudantibus; istis autem veluti gladio transverberatis. Ipse verò innocentissimus Agnus oculis & corde in cælum elevatis, gravissimo naturæ sensu, ac dolore ob tantam injustitiam percepto, obtulit patri æterno hanc horam pro salute generis humani, ac denuo acceptavit mortem obedientissimè. Totidem in hoc toto actu fuerunt tormenta, quot circumstantiæ, quia quamlibet earum pro meritis expendebat ac sentiebat Christus. Sentiebat ingratitude populi summam, quâ respuerunt eum habere pro Rege, subjiciendo se potius jugo & exilio perpetuo; cum venerit ipse ad asserendos in perpetuam libertatem: sentiebat insaniam eorum, quâ se cum tota posteritate onerârunt vindictâ sanguinis sui, quem effundebat pro eorum salute: sentiebat mærorem suorum, videntium se injustissimè condemnatum ad mortem. Et per omnes istos fluctus dolorum transire voluit, ut ostenderet, quantum nos amet, vitam impendendo pro nobis, quâ homines nihil charius habent.

*Mors IESU
vita nostra.*

VII. Non sine consideratione & gratitudine prætereundum est, quòd genus mortis non determinaverit ipse Judex, sed illi, pro quibus patiebatur, & à quibus expetebatur ad mortem, Judæorum scilicet, & omnium nostrum peccata, apud tribunal DEI justitiam, ac proinde crucem Domini postulantiæ, qui se obligârat ad satisfaciendum pro illis. Ideo dicit Apostolus de his, qui peccant, quòd iterum poscant Filium Dei ad crucem: *Rursum*, ait, *crucifigentes sibi metipsis Filium Dei.* Voluit igitur Dominus mortem suam unanimiter peti à populo, nomine omnium peccatorum; ut omnes nos pudeat, eum tam indignè habitum à nobis & cum

& cum amore omnes vires corporis & animæ, ipsam adeò vitam impendamus ejus obsequiis: & quia mors ejus debuit esse remedium nostræ vitæ, & remissio peccatorum, quibus eam procuravimus; voluit ut ipsum genus mortis esset ad votum nostrum, atque ita certi fieremus, eum, quem ad moriendum habuimus, ut volumus, etiam ad vota nostra futurum, ut vivamus semper cum illo. Hæc omnia sunt opera infiniti amoris, quem erga nos gerit, & pignora, quòd semper sit daturus, quidquid eum pro salute nostrâ petemus. Quia Dominum, qui nostris malis voluit mittere mortem, quâ nos volumus, certum est nec mortem, nec alias arumnas immissurum, nisi ut initia vitæ æternæ.

EXERCITIUM

De Sententia Mortis.

I.

Q Vis habet cor ad audiendam crudelem sententiam mortis contra te, vera Vita animarum, & unica Spes peccatorum? quomodo capiet cor humanum, te sic dilaceratum & vexatum, pro commiseratione, una voce ab omnibus deposci ad mortem, clamando: *Tolle, tolle, crucifige eum*? Eja Pilate, tolle eum ab oculis harum ferarum, quæ non possunt eum videre: & mihi da illum; ego eum excipiam, curabo, adorabo, & serviam ei. Veni ô dulcissime Amor & Salvator meus! veni ad me, qui te desidero, te quæro, te sic vulnerato gaudeo. Intra in hanc animam, & vive in illa; ego verò pro te moriar. Sed ignosce mihi, Redemptor mi; quia sum pejor hæc gente, quæ te non sustinuit videre; quia te non novit, neque credit in te. Ego, qui in te credo, teque adoro pro eo, qui es, quoties nolui te aspicere, cum offerres te cordi meo, ad visendas meas misérias, quibus oblectabar, & averfabar te! ô quàm fui miser, quoties te non habui ob oculos meos, ut facerem ea, quæ tibi causa mortis fuerunt! muta hoc, obsecro, Domine, ut non ampliùs tollaris à corde meo, sed semper verseris in oculis meis, in desiderio & amore meo: quia si te semper habeam ante me, & oculos interiores defigam in te, salus erit & remedium omnium malorum meorum. Nam in te vera

N n n

vita

vita animæ meæ, resurget, quidquid in me est mortuum: in te, misericordia æterna, curabuntur meæ miseriæ: in te, summa beatitudo, spem habent ærumnæ hujus exilii mei.

*Nil nobis
negabit,
qui vitam
propriam
addit.*

II. O ignis charitatis æternæ, qui semper ardes, & nunquam consumeris! quæ nova est hæc inventio infiniti amoris, quem geris, ut iidem, pro quibus es moriturus, eligant genus mortis, quo te perimant? Jam peccata mea præsentia erant Patri æterno, & in societate perfidorum istorum clamabant, ac postulabant justitiam contra te, qui te fidejussorem obtulisti & solutorem debitorum, quibus ego solvendis non fui. O ardentissime ignis amoris æterni, qui te per omnia subjecis arbitrio Judicum, & medija suscipis conformia meæ voluntati, paratus etiam cruce me juvare, & qualibet alia morte crudeli, quâ te placeat nobis afficere: quomodo ergo, tam pronus ad meam voluntatem me non exaudies, quando petiero te amare, ac tibi servire? ô infinite thesaure, respiratio & quies meorum laborum! qui tam liberaliter impendis te ipsum, neque aliud quæris, quàm ut te pro meo habeam ac possideam: veni, Domine, veni ad me: intra in hanc pauperem animam, quæ te accipit in perpetuum pro unico & summo bono suo: pro te ab dico, & in tuas manus repono omnia mea: habeam te solum, & dives sum satis: tu solus potes mihi satisfacere, mederi, & afferre solatium.

*Infelix est
& miser,
qui non est
Domini.*

III. O fidejussor meus! qui pro me jam satisfacisti interiùs, & nihilominus ipsa morte pro me solvere vis Patri æterno, tibi me habes obligatum ex justitia: apprehende me, Domine, neque dimitte liberum ab hac obligatione, quâ teneor esse tuus: & quia justitia tuum facit etiam sponte mea; & per amorem volo tuus esse. Unus angulus in domo tua major est felicitas, quàm omnis abundantia terræ: quid dico abundantia? omnia sunt mera fames & miseriæ, omnia infelicitas, extra esse tuum. O si me viderem in hac dulci captivitate! ô si me nunquam viderem separatum à te! miserum me, si me subducam à tua præsentia, & obedientia, vel ad unum momentum! Nonne mihi melius foret, non vivere? Tu es creator meus, ego tua creatura: Tu es Redemptor meus, ego mancipium tuum, redemptus à te: tu fidejussor,

qui

qui solvisti pro me, & ego debitor tuus, ac principaliter obligatus. Tibi me trado, & mancipio in perpetuum.

IV. Audi, anima peccatrix & infelix, quid vox præconis edicat: Pilatum jubere Dominum mori in cruce, quasi malefactorem & falsum Regem inter duos latrones. Cogita, quàm grave debuerit esse sanctissimæ Humanitati, audire tam crudelem sententiam. Considera clamores & plausus inimicorum ejus, cum viderent se suis votis potiri. Vide, ut festinent ad executionem sententiæ; JESUS autem, velut agnellus, inter hæc omnia taceat, neque parcat suis auribus, quò minùs & ipsæ habeant suum tormentum, dum audiunt ista, quæ in ipsum dicuntur. Quomodo vivo ego Domine animæ meæ, videns ea, quæ video, & audiens ea, quæ audio? Tu ô Rex cæli, sis falsus Rex? Tu fidelissime Redemptor animarum, sis proditor? Tu liberalissime largitor omnium bonorum, sis caput latronum? Tu, qui das vitam æternam, merearis sententiam mortis? Ego sum talis, Deus meus, & vivo; tu moreris, & ego adhuc sustineo vivere & loqui? ô duritia mea! ubi es, comparata huic teneritudini? ubi est mea miseria comparata huic misericordiæ? ubi est mea tepiditas, comparata huic immenso amoris? reus vivit, & moritur innocens: moritur Dominus, ut vitam det servo.

V. O bone JESU! ostende mihi cor tuum: sine me videre, quid senseris in eo, quando audivisti hanc diram sententiam: qua ^{Necesse erat} mansuetudine, sine verbo, sine resistentia, sine querela; & qua ^{Dominum} charitate dedideris te totum potestati illorum, quibus necessarius ^{mori, ut} eras, ô amor divine! ô pure amor! cur me non totum consumis in ^{servus vis} hac hora? cur me non adstringis, me non subjicis huic Domino? ^{veret.} adoro te, amor infinite: adoro te, infinita liberalitas: adoro te, verè cor JESU, perfectissimi Salvatoris, sufficientissimi Redemptoris, fidelissimi Amici animæ meæ. Supplico tibi eidem cordi, ut mihi des lucem ad te cognoscendum, amorem ad te amandum, subjectionem ad tibi obediendum, & odium ad detestandum peccata mea, quæ tibi causa fuerunt tantorum dolorum; horrorem mei-
ipsum, & ne sit in hac anima alia cogitatio, quàm quomodo tibi

N R R 2

satis-

satisfaciam, & placeam tibi: quandoquidem tu es unicum bonum & gloria mea.

VI. Sed ô Domine mi! qualia sunt hæc verba, quæ scribit *Lucæ c. 23. v. 24 & 25.* S. Lucas Evangelista tuus de Pilato: *Adjudicavit fieri petitionem eorum: dimisit autem illis eum, qui propter homicidium, & seditionem missus fuerat in carcerem, quem petebant: IESVM verò tradidit voluntati eorum.* Erga te, Domine animæ meæ, sic ordo invertitur, ut pro ratione sit mala voluntas hostium, & odium pro justitia! & sine culpa, sine omni causa traderis voluntati tuorum inimicorum! non est in mundo major ulla confusio, quam ubi gubernatio fundatur in sola voluntate unius, & illa est tota ratio eorum, quæ fiunt. Tibi soli id convenit, ô Deus, ac Dominus meus; quia tua voluntas est optima, sapientissima, & plena rationis ac justitiæ: & quod in mundo habetur pro summa inordinatione, & causa malorum omnium, hoc tecum servatur, ut tollaris è medio, & adimatur tibi vita, quâ nihil præstantius invenitur sub cælo.

VII. Prô pudor & confusio mea! quid dicam, Domine, cum video te propter me tradi perversæ voluntati inimicorum tuorum; & ego me tuæ non penitus trado? ad ferendam contra te sententiam mortis sufficit, quòd ita velint hostes tui; & mihi ut acquiescam his, quæ mihi eveniunt, non sufficit nosse, quòd tu ita velis & ordines! Illi errant in omnibus rebus, & tu finis te tradi voluntati eorum; & ego me non accomodo tuæ divinæ voluntati, quæ sapientissimè & rectissimè ordinat omnia! ô inordinatio mea! ô duritia cordis terreni! quid potes de me statuere, Deus meus nisi quod sit pro gloria tua & bono meo! cruces, quas pro te fero, mihi convertis in gloriam; labores mutas in requiem; injurias in justitiam; dolores in bona cælestia; tentationes ac desolationes in dulcissimam conversationem, ac suavissimos amplexus tuos; mortem in transitum ad vitam æternam: & ego queror, te fugio; neque sufficit mihi, quòd tu sis, qui hæc ordinas & facis, ut eis subjiciar. O cor terrenum! ô vilitatem spiritûs! ô frigus glacie majus! Muta hæc Deus, ac Dominus meus, nunc & in perpetuum. Ego, Domine, consigno me tuæ voluntati, nec volo aliam rationem eorum, quæ mihi evenient, quàm ut sciam, te sic ordinasse.

Committamus nos voluntati Christi, qui se voluntati hostium tradidit.

odinasse. Hic me crucifigo, hic tibi me offero, ut in omni re fiat voluntas tua, non mea, nunc & semper in vita & in morte. Amen.

ÆRVMNA XLII.

Bajulatio Crucis.

I.



Domulgatâ sententiâ solliciti fuerunt Judæi, ut ^{Abstinerent} quàm primùm in executionem veniret, ne fortè Pila- ^{omnes à} tus eam expendendi spatium nactus, revocaret; ubi- ^{peccato, si} que patris sui diaboli genium exprimentes. Cùm ^{ejus foeditas} enim ille nôrit, quòd tanta sit foeditas peccati, ut omnes ab eo ab- ^{appareret.} stinerent, si illam agnoscerent, studet omni modo intellectum hominum oblinere aliquâ illecebrâ, ne agnoscant malum, quod parant. Ita Principes præcipitato per tumultum Præside in vota sua properaverunt, priusquam illum aut populum subiret pœnitentia facti. Sicut ergo crucem jam antè paraverant, & alia ad crucifigendum necessaria conduxerant, ita curaverunt eam afferri ad aedes Pilati, ut majoris ignominie causa imponeretur Domino gestanda ad locum supplicii: diligenter ordinantes custodias, & alia satagentes pro sua immanitate erga Dominum, qui sicut ovis ad occisionem ducebatur, & quasi Agnus coram tondente se obmutescens, non aperuit os suum.

II. Ut verò ad majorem confusionem agnosceretur ab ^{Vt viam} omnibus, voluerunt eum depositâ purpurâ in suis vestimentis in- ^{Crucis am-} cedere. Tunicam ergo inconsutilem, nec apertam anteriùs per ^{bularemus,} caput induere debuit, utique non sine novo dolore, & sanguinis ^{Christus} emanatione à spinis. Voluit autem Dominus ipse suis in vesti- ^{præcessit} bus conspici cum cruce, ut, quod antea docuerat, si quis velit esse ^{nos.} suus discipulus, tollat crucem suam, & sequatur se, nemo se excusare possit per ignorantiam, quasi non videret eum cum cruce præcedere; cùm clarissima luce, prope meridiem, per publicas vias, omni populo spectante in sua veste omnes antecesserit, non erubescens publicè constare, quid habeat ipse in pretio. Solent multi longa serie memorare claros majores, officia publicè gesta, facinora edita; & in primis ostentare faciem deformatam vulneri-